

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3832

Auteur(s) : Philippe III le Hardi, France (roi)

Bénéficiaire(s) : La Hoguette, Saint-André-en-Gouffern (abbaye, abbé)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1277, septembre

Lieu d'émission : Paris

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Philippe [III], roi de France, accorde à l'abbé et aux moines de Saint-André-en-Gouffern de posséder leurs acquêts qu'ils ont faits depuis 30 ans.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 898, p. 212-213.

Texte établi d'après a

Philippus, Dei gratia, Francorum rex. Notum facimus universis, tam presentibus quam futuris, quod, cum abbas et conventus Sancti Andree de Goferto, Sagiensis dyocesis, finaverint, juxta tenorem ordinationis nostre, cum ballivo nostro Cadomensi, super retinendis perpetuo sibi et successoribus suis quibusdam acquisitis per ipsos in feodis et retrofeodis nostris a triginta annis citra, illis videlicet acquisitis que non licebat eisdem abbatii et conventui absque assensu nostro retinere, que sunt hec, videlicet a domino Johanne de Karroges, milite, unum molendinum folerez situm apud Karroges ; item, apud Joe de Plano, a Guillelmo Marescot, duodecim solidi turonenses ; item, apud Cadomum, a Sansone Le Cornevalois, quedam domus cum platea et herbergagio ; item, in eadem villa, quedam platea in borgagio ; item, apud Courlandon, a Rogero de Sarceaus, quedam pecie terre valentes per annum viginti quatuor solidos turonenses vel circiter ; item, apud Argentomum, a Richardo de Turre, milite, octo solidi turonenses ; item, apud Crennes, a Henrico Marescalli, milite, tam in terris quam in denariis, sexaginta duo solidi turonenses et duo capones ; item, apud Fontenetum prope Argentonum, ab Ysabelle de Sarceaus, decem solidi turonenses ; item, apud Raanam, a Guillelmo de Logis, decem solidi turonenses ; item, apud Arenas, a Gervasio Le Ber, quedam pecie terrarum, valentes per annum duo sextaria ordei vel circiter ad mensuram Falesie ; item, apud Hablevillam, a Johanne Berengier presbitero, duo solidi turonenses ; item, apud Albigneum, a Roberto de Albigneio, duo solidi turonenses super quoddam masuagium ; item, apud Vesquevillam, a Guillelmo Bustart, una gallina et unus denarius ; item, in eadem villa, a Gervasio Le Ber triginta denarii turonenses ; item, apud Vertinvillam, a Johanne de Sauquances, quinque boisselli ordei ad mensuram Falesie ; item, apud Broie, a Guidone de Taillebois, milite, decem solidi turonenses et una gallina ; item, in ballivia Rothomagensi, apud Sanctum Albinum de Bonavalle, a Guillelmo, rectore ecclesie ipsius ville, et ejus nepotibus, una acra terre ; que omnia estimata sunt decem et septem libre et tresdecim solidi turonenses annui redditus ; nos dictam finacionem ratam et gratam habentes, volumus et concedimus, quantum in nobis est, quod dicti abbas et conventus dicta acquisita tenere possint im perpetuum et pacifice possidere, sine coactione vendendi vel extra manum suam ponendi, salvo

in aliis jure nostro et jure in omnibus alieno. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum, presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo septimo, mense septembri.